5

sacras signabat ut sacrificia et oblationes et huiusmodi horum autem differentiam
breviter Augustinus insinuat super psalmum lxxiii ubi dicit quia illa promit-
tebant tantum et significabant hec autem dant salutem

Fuit autem inter illa sacramenta quoddam scilicet circumcisio idem conferens remedium
contra peccatum quod nunc facit baptismus Unde Augustinus ad Valerium
contra Iulianum ex quo instituta est circumcisio in populo dei que erat tunc sig-
naculum iusticie fidei ad purgationem valebat parvulis originalis
veterisque peccati sicut baptismus ex illo valere cepit ad innovationem
hominis ex quo institutus est Item Beda super evangelium idem saluti-
fere curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus
agebat quod baptismus agere revelate gratie tempore consuevit excepto quod
regni celestis ianuam nondum intrare poterant sed tamen in sinu Abrahe post
mortem beata requie consolati superne pacis ingressum spe felici
expectabant His aperte traditur per circumcisionem ex quo instituta fuit
remissionem peccati originalis et actualis parvulis et adultis a deo prestitam sicut
nunc per baptismum datur

Verum autem de viris qui fuerunt ante circumcisionem et
de feminis que fuerunt ante et post quod remedium contra peccatum ha-
buerunt quidam dicunt oblationes et sacrificia eis valuisse ad remis-
sionem peccati sed melius est dicere illos qui de Abraham prodierunt per circumcisionem
iustificatos Mulieres vero per fidem et operationem bonam vel suam si ad-
ulte erant vel parentum si parvule Eos vero qui fuerunt ante circumcisionem
parvulos in fide parentum Parentes vero per virtutem sacrificiorum spiritualiter quam
intelligebant spiritualiter in illis sacrificiis iustificatos Unde Gregorius in

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_334/0013
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG